

Yb  
2064

PROLVSIO  
DE  
M A G N A V I  
NEGLECTAE EDVCATIONIS  
LIBERORVM DOMESTICAE  
IN  
DISCIPLINAM SCHOLASTICAM

---

PRAEMISSA  
DECLAMATIONIBVS V.  
IN ILLVSTRI  
S C H O L A G R I M A N A

A. D. XIV. SEPTEMBR.

I P S O D I E S C H O L A E N O S T R A E N A T A L I  
I N A V D I T O R I O M A I O R I  
H O R A III. P O M E R I D . S A C R I S F I N I T I S  
H A B E N D I S

A D Q V A S A V D I E N D A S Q V A M H V M A N I S S I M E

I N V I T A T  
I O A N N E S T O B I A S K R E B S  
I L L V S T R I S M O L D A N I R E C T O R .

---

L I P S I A E  
L I T T E R I S B R E I T K O P F I I S .



Digitized by srujanika@gmail.com

三



DE MAGNA VI  
NEGLECTAE EDVCAT. LIBERORVM  
DOMESTICAE IN DISCIPLINAM  
SCHOLASTICAM.

**C**ommunes hodie sunt, omniumque fere ore ja-  
ctæ querelæ de educatione liberorum dome-  
stica, partim plane neglecta, partim perverse  
instituta, quam in caussa esse dicunt, quod no-  
stra ætas tam magnum, eumque infelicem  
proventum eorum adolescentium tulerit, & etiamnum fe-  
rat, qui, adultiores facti, omnis fere virtutis, honestatis-  
que negligentes, & in crassa omnium rerum, artiumque,  
vitæ humanae utilium & necessariarum, ignorantia versan-  
tes, cum patriæ oneri, tum parentibus dedecori & sint,  
& habeantur, atque hinc inde vagi, miserique oberrent.  
Jam, etsi ego omnium rerum non ita ignarus sum, quin  
sciām, eandem cantilenam flebilem & maiorum nostrorum  
ætate, & antiquissimis adeo temporibus a viris sapien-  
tibus, honestatis studiosis, salutisque patriae amantibus  
fuisse jam cantatam: tamen & hoc scio, & contendere  
mihi posse videor, hanc nostram in primis ætatem justissi-  
mam præbere caussam, de ista re acerbe conquerendi.  
Cujus enim aures in communibus omnium fere sermoni-  
bus ita peregrinantur, aut ejus oculi in rebus quotidie  
occurrentibus ita quasi coecutiunt, quin saepè cognoverit,  
quam male blanda, & intempestive indulgens, quam laxa,  
& quodam modo dissoluta plerunque sit liberorum educa-  
tio atque disciplina? Quod quidem non est, quod magnopere  
mirandum putemus. Nam, quo magis haec nostra

## 4 DE MAGN. VI NEGL. EDVC. LIE. DOMEST.

ætas ad omnem fere mollitatem, ignaviam, laboris fugam, & iners, desidiosumque otium proclivis est, quo magis in religionis amore, virtutisque studio friget: eo etiam remissior fere est, eo magis socors cura liberos prudenter, honesteque educandi, sensuque rerum honestarum, omni studio expetendarum, imbuendi. Quanquam autem omnes, quibus Reipublicæ salus curæ, cordique est, justissimam caussam habent, de neglecta, aut perverse instituta liberorum educatione, disciplinaque domestica conquerendi: tamen haud scio, an in primis scholæ magistris omnes istæ querelæ non una de caussa sint fundenda, & facilime condonandæ. His enim cum plerumque excedendum, bonoque et firmo stomacho concoquendum sit, quod parentum sive socors liberorum educandorum negligentia, sive ignoratio & imprudentia, sive mollis & crudelis indulgentia intrivit: quis non his facile concesserit, si, ipsius muneris sui acerbitate, reique indignitate compulsi, querelas, acerbias illas quidem et graves, justas tamen de adolescentium, doctrinæ ipsorum, institutioni, disciplinaque commissorum, ignorantia, petulantia, contumacia, morum rusticitate, & malitia, nullis fere artibus coercenda, effundant. Neque hoc ita dixi, ut mihi ipsi ejusmodi querelas concedi, condonarique velim. Nam ego sane longe absum, ut, de more querularum aniculorum, aliorum aures miseris querelis jaciendis obtundam, sive, quia non habeo, quod magnopere de forte mea conquerar, sive, quia cognovi, omnibus istis querelis, quamvis justis, nihil aliud fere effici, quam ut alii, tacito risu eas excipiunt & transmittant, alii autem a moroso scholæ magistello, cui servens difficultile tumet jecur, atque adeo in miseriis suis exaggerandis ingenioso, prolatas, arbitrentur. Quæ huc usque diximus, in sententiam potius disputavimus hanc, vt hac prolusione, actui oratorio solemini, quo Illustris Moldani nostri, ante hos ipsos CCXVI annos aperti & constituti, dies Natalis grata, piaque mente celebranda est, præmittenda doceremus, quantam, & quam perniciofam vim (*influxum* vulgo eleganter vocant) neglecta liberorum educatio, & disciplina domestica in institutionem, disciplinamque scholastican habeat, & quam difficilem eam, molestiarumque plenam reddat.

Jam

Jam primum, si hominum generi nihil dulcius, cariusque datum est, quam sui cuique liberi, & si ipsius Naturae vox atque auctoritas, commendabili aliqua gratia, nobis injungit hoc, ut, quibuscum vel ipsius necessitatibus, vel ejususcumque necessitudinis vinculo conjuncti sumus, eorum saluti, rationibusque pro sua quisque facultate consulamus: debent profecto parentes in officiis suis primis, maximeque necessariis ponere hoc, ut liberos a teneris inde annis moribus iis singant, ea disciplina domestica contineant, ut, quos suos aliquando videre cupiant, h. e. florentes, felices, beatos, ii etiam evadant. Cujus quidem educationis suæ, disciplinæque sapientis & honestæ, inter alios, dulcissimum, uberrimumque fructum percipient hunc, ut, quos liberos suos amare necesse sit, eos etiam ament libenter. Et hoc officium, sapienter, honesteque educandi liberos, hoc munus parentibus eo gravius, eo magis necessarium esse debet, quo magis incertum est, quam longa sit cujusque parentum vita futura, adeo, ut vivi, vel ipsius amoris necessarii erga liberos religione, obstricti teneantur, eorum saluti, prudenti honestaque educatione, consilere, eaque re firma futuræ fortunæ jacere fundamenta. Et quod monumentum clarius, honorificentius parentes, si ipsi viri sancti, honestique fuerint, relinquere mortui, quod gratius, & præstantius munus Reipublicæ afferre, & relinquere possunt, quam liberos, paternarum virtutum hæredes, omnisque honestatis amantes atque studiosos?

Quodsi antiquissimorum temporum memoriam mente, cogitationeque repetimus, inveniemus, parentibus omnibus, nisi quos aut Natura ad omnem animi turpitudinem abjecerit, aut ingenii ferocitas ad omnem humanitatis, honestatisque sensum obtusos reddiderit, infedisse opinionem hanc, ut putarent, quoniam liberi non sibi solis, sed patriæ imprimis essent nati, ut \*) PLATON verissime judicat, eos mature honesta ratione educandos, prudentique disciplina domestica continendos esse ita, ut suo tempore in communem utilitatem afferre aliquid, & Reipublicæ officia, bono cive, salutisque patriæ studio digna, præstare possent. Hanc opinionem, a Natura ipsa insitam atque commenda-

A 3 tam,

\*) Lib. VII. de Legg. p. 804. Edit. Stephan. ποὺς πεῖς τὸς πόλεως μάλλον, οὐ τὸν γεννητόν τοι. Cf. ejusdem Epist. IX. ad Archyt. p. 358. & CICERO Offic. I, 7.

## 6 DE MAGN. VI NEGL. EDVC. LIB. DOMEST.

tam, studio autem boni publici magis, magisque confirmata, cum parentes infixam animo haberent: uti erat, ita existimabant, in officiis suis, muneribusque Reipublicæ afferendis gratissimum, amplissimumque esse hoc, ut, prudenti cura, sollicitaque educatione, liberos suos, tenellos adhuc, atque adeo & ad fingendum moliores, & ad parendum sequaciores ad honestatis sensum, amoremque concepiendum, ad majorum instituta, & ad civitatis disciplinam instituerent atque conformarent. Cujus quidem educationis, institutionisque liberorum, arbitrio parentum relicta, eo major, sollicitiorque cura erat habenda, quo graviores poenæ, auctore PLVTARCHO (in Lycurg. p. 91. Ed. Steph. & in Laconic. p. 422) eos manebant, qui in neglecta puerorum, adolescentiumque educatione remissi, negligentesque essent deprehensi. Nam omnes sere legum latores, qui liberorum educationem, institutionemque parentum fidei, prudentiae, curæque reliquerant, gravissime sanxerunt hoc, ut, qui ab honesta vivendi norma, legibus praescripta, recessissent, ii graves fuerent poenas, quo gravius & hi officii sui, in posterum diligentius, religiosiusque observandi, admonerentur, & alii, tristi eorum exemplo commoti, ad sollicitiorem hujus munieris sui curam, diligentiamque acuerentur. Nam sapientissimi & legumlatores, & philosophi sententiae hujus erant, ut putarent, nisi homines a tenera inde aetate prudenter, honesteque educati, atque instituti fuissent, nullam vim, auctoritatemque vel saluberrimarum legum, optimorumque institutorum majorum esse. Verissime in hanc sententiam \*) ARISTOTELIS disputat: *Maximum omnium ad Reipublicæ stabilitatem est id, quod nunc parvificiunt omnes, eridiri ad Reipublicæ disciplinam. Nihil enim profunt utilissimæ leges, quæ a gubernatoribus feruntur, nisi moribus instituti, & disciplina imbuti in Republica homines fuerint.* Quid? quod Persæ & Lacedæmonii, ut apud PLVTARCHVM (in Lycurg. I.c.) & XENOPHONTEM (Cyropæd. Lib. I. sere ab initio) est, quia usum rerum edicti cognoverant, institutionem puerorum ma-

gnam

\*) Μέριστον πάντων πρὸς τὸ διαιρένειν τὰς πολιτείας, ἐννῦν διηγερότι πάντες, τὸ παιδεύειν πρὸς τὰς πολιτείας. Ὁφελος γάρ ἔδει τῶν ὀφελιμάτων νόμων, καὶ συνδεδεξαμένων ὑπὸ πάντων τῶν πολιτευομένων, εἰς τοὺς ἔσοντας εἰδησμένους, καὶ πεπονιμένους ἐν τῇ πολιτείᾳ.

IN DISCIPLIN. SCHOLAST.

gnam vim in mores publicos habere, liberos educandos, instituendosque non tam parentum sive curae, sive incuriae permitti, sed publica, eaque paullo severiori disciplina, quae, auctore \*) PLVTARCHO l.c. meditatio s. exercitatio obedientiae est, contineri voluerunt, rati, saepe parentum vel imprudentia & inscitia, vel nimis molli, crudelique indulgentia, vel deinde acerbiore, eaque intempestive adhibita disciplina liberorum animos vel corrupti, vel effoeminari, vel ad honesti, & turpitudinis sensum obtusos reddi. Quam sollicitam curam, quam severam disciplinam Romani tum, cum boni mores in Republica viguerint, in liberis educandis, & ad morum honestatem fingendis adhibuerint, vel nobilissimus locus apud auctorem (TACITVM vulgo edunt) Dialogi de causs. corrupt. eloquent. c. 28. Iculenter docet, paullo longior, quam quem angusti hujus proflusionis fines capere possint. Multo sollicitior cura, multo acrius studium omnium parentum hodie in hac re esse deberet, ut, qui ipsis divino aliquo munere dati & concessi sint liberi, eos, veluti teneras arbores, prudenter, honesteque educarent, & sapientis institutionis praecceptis salubribus, tanquam animi alimentis, ita nutrirent, nutriendoque perducerent eo, ut, maturioribus & annis, & viribus ingenii, hujus educationis, institutionisque fructus, & parentibus dulces, & Republicae salubres, ferrent. Quemadmodum enim in semi-nibus frugum caussae latent: ita prudenti, honestaque educatione & institutione ratio vitae, sancte, honesteque instituendae, continetur. Magna sane educationis, institutionisque vis est in utramque partem. Nam, ut recte \*\*) PLATO, homo si cum felici illa natura redditam quoque institutionem, disciplinamque consecutus est: maxime divinum, & mansuetum animal existere solet: Sin autem non satis recte fuit institutus, omnium, quae in terra sunt, ferociissimum animal evadit. Neque vero quicquam esse potest, quod parentum curae, fidei, diligentiae, studioque magis commendatum esse debeat, quam prudens & honesta educatio liberorum. Vere, & divinitus \*\*\*) PLATO,

TO

\*) ή παιδία ἐτι μελέτη συνεπεδίας.

\*\*) de Legg. VI. p. 766. Σῶν Ημερού (ἀνθερώς ἐτι.) ὅμως μήν παιδείας μὲν ὡρῆς τυχὸν καὶ φύσεως ἐντυχᾶς, θεότητος ἡμεράτανόν τε ζῶν γένεσις φύεται  
μηδέποτε δέ, η μὴ καλῶς τραφεῖ, ἀγνωτικού ὅπου φύεται γῆ.

\*\*\*) in Dialogo, Theages inscripto, T. I. p. 122. "Οὐκ ἐτι, περὶ τῆς θεοτητὸς ἡ  
ἄγνωτος βαλίνεται, η περὶ παιδίας τῶν αἵτη οὐδέποτε.

To in hanc sententiam disputat: *Non potest homo de negotio magis divino instituere deliberationem, quam de recta pueri, juvenisque institutione, qui patrīe aliquando cīvis ēſſe debet.* Cf. CICERO de Divinat. II, i. Cum igitur gentes, a veri Dei cognitione remotæ, divinæque revelationis luce non collustratae, tamen prudentem, honestamque educationem liberorum tam salubrem toti Reipublicæ, atque adeo tam necessariam ceſſuerint, ita, ut PLATO (Lib. VIII. de Legg. p. 549 f.) vere contendat, *educationem liberorum plurimum habere momenti vel ad felicem, vel infelicem Reipublica ſtatū:* quanto gravius, quanto magis necessarium hoc, honeste educandi liberos, munus Christianis & ēſſe, & videri debet, quibus id non ſolum inſtitus a Natura erga liberos amor, aut ſtudium communis ſalutis Reipublicæ, ſed graviflma etiam Dei au-  
toritas, ſacrarum literarum monimentis conſignata, & ra-  
tio, in tremendo illo judicio aliquando reddenda, graviter injungit, maximeque necessarium facit. Neque vero ha-  
ruim rationum gravitas ſolum, ſed cura etiam futuræ libe-  
rorum ſalutis ad hoc officium, ſumma cum cura & religio-  
ne præſtantum, allicere eos, & acuere deberet. Nam pru-  
dens, honestaque liberorum educatio & institutio haeredi-  
tas eſt, a parentibus tradita, omni patrimonio, quamvis ampio et lauto, præſtantior, nullis quippe neque incon-  
ſtantis Fortunæ caſib⁹ obnoxia, neque fraudulentorum hominum injuriis expoſita, neque una cum aliis rebus flu-  
xis & caducis interitura. Veriſſime \*) PLATO de hac educatione in ſententiam diſputat hanc, ut dicat: patrimo-  
nium optimum, & præſtantissimum eſſe prudentem, hone-  
ſtamque educationem. Sed quorūm hæc diſputo? nempe  
eo, ut unusquisque intelligat, quam male, quam impie &  
injuriōſe cum in ſeipſos, tum in liberos ſuos, tum denique in totam Rēpublicam ii agant parentes, qui, cum in innu-  
meris aliis rebus fluxis & caducis, & vel parūm, vel nihil  
utilitatis habentibus ſere toti ſint, ſtudioiſſimeque labo-  
rent, in prudenti, honestaque liberorum educatione, re  
omnium graviflma, omnique adeo cura, ſtudio, laboreque  
digniſſima, tam negligentes, tam remiſſi, & quodammodo  
diſſoluti reperiuntur, ut totum iſtud negotium cura ſua vi-  
x dignum eſſe arbitrentur. Quam grave autem, quam mul-  
tiplex

\*) Παιδί αὐτῷ χρη̄ πολλαῖν, ἐ̄ χρυσὸν καταθέτειν. Lib. V. de Legg. p. 729.

triplex damnum ex ista vel plane neglecta, vel perverse instituta liberorum educatione cum in liberos, tum in parentes ipsos, tum in disciplinam scholasticam, tum, totam denique Rempublicam redundet, cum res ipsa loquatur, non est, quod multis disputandum putemus. Evidem pro munieris mei ratione non, nisi de magna vi, quam neglecta puerorum educatio in disciplinam scholasticam habet, exponendum hac prolusione existimavi. In quo quidem modum tenebimus hunc, ut non omnia, quae in hanc rem disputationi poterat, afferamus: (hoc enim opus libri integri haud exiguae molis foret) sed summa tantum rerum quasi capita strictim attingamus.

Omnium gravissimum fane, maximeque necessarium parentum officium & est, & esse debet hoc, ut, ubi rationis liberorum vis exferere sese incipit, & intellectus aliquam percipiendi, cognoscendi, judicandi facultatem affecutus est, omni modo rationem, in qua maxima hominis praे brutis animantibus præstantia cernitur, excitant, & colant, atque ingenia eorum, animosque vera religionis, rerumque divinarum cognitione, cuius quidem ista etatula capax est, imbuant atque informent. Recte enim PLATO (Lib. X, de Legg. p. 890.) judicat ita, *ignorantiam Dei esse summam omnium & hominum, & rerum publicarum, & familiarum pestem, & calamitatem.* Neque vero doctrinam religionis, rerumque divinarum intelligimus hanc, quae liberos certas quasdam pre-candi formulas, mero sono, nullaque vi subjecta, ediscere, & recitare memoriter doceat, quarum sententiam non capiant, nec pro ingenii imbecillitate capere possint: (quamquam his quoque rebus divinis tenera illa etatula non fatis mature imbuī potest) sed institutionem, doctrinamque rerum divinarum eam intelligimus, quae vim habeat hanc, ut non solum præcipua doctrinæ christianæ capita memoria fidei percipientur, tenacique teneantur, sed tam alte etiam in teneros animos descendant, ut vero Dei amore inflammati, timoreque commoti omnia, quae legum divinarum auctoritati, honestatisque rationi contraria sunt, studiose fugiant, & aversentur, rerum honestarum amore, studioque incendantur, contra ea omnium illicitarum, turpiumque odium, detestationemque concipiendam sibi putent. Hac religionis, divinarumque rerum cognitione, hoc virtutis

B. amo-

anore, hoc rerum honestarum sensu teneri adhuc liberorum animi sunt imbuendi. Nam, ut vere <sup>\*)</sup> PLATO iudicat, in unaquaque re maximum, atque praestantissimum est primordium, juveni præfertim, & cuilibet tenero. Tunc enim maxime formatur & induitur figura ejus rei, quam quis unicuique imprimere, atque dare velit. Hic sensus rerum divinarum, hic amor virtutis, omnisque honestatis nisi teneris adhuc liberorum animis instillatus, veræque felicitatis gratia amabilis, commendabilis, que factus fuerit: quid aliud exinde oriri & potest, & solet, quam hoc, ut annis maturioribus, in tanta præfertim hac ætate nostra religionis contemplatione, in tanta adolescentium in dies magis, magisque invalecente dissoluta, effrenique vivendi licentia, rerum divinarum studium, sensus, amorque sensim refrigescat, refrigeratusque neglectum, contemptumque secum trahat. Tantum interest, teneros liberorum animos religionis, divinarumque sensu, amoreque miture inflammari!

Neque alia ratio est honestatis, cujus maximam curam in educandis liberis habendam esse recte præcipit PLATO (Lib. VII. de Legg. p. 809.) Hujus enim sensum, & amorem, nisi animi adhuc teneri conceperint, contra ea odio justo rerum turpium fuerint incensi: verendum fane est, ne, adultiores facti, aliorum prava consuetudine, tanquam pestifera contagione, tacti indies magis, magisque cupiditatibus effrenibus, turpibus, lascivisque obsecuti, tandem consuetudine, facilitateque inhoneste, indecoraque agendi, contracta, ad omnem honestatis sensum obdurescant, nullamque rationem neque honesti & turpis, neque decori & indecori habeant, sed juxta aestimanda omnia, sibiique licere arbitrentur. Quid enim? Nonne & haec nostra ætas quam plurima spectacula & exempla tristissima hominum infelissimorum nobis ostendit, qui, in pueritia nulla fere doctrinæ christianæ imbuti, nullo virtutis, honestatisque sensu & amore incensi, adultiores facti eam vivendi rationem sunt secuti, qua voluptatum lascivarum æstet in vitiorum declivia abrepti, & in omnia tandem flagitorum præcipitiae detrusi miserabilem, deplorandumque vitæ exitum habuerunt?

Quam

<sup>\*)</sup> Ἀρχὴ παντὸς ἔργου μέγιστον, ὃλως τε οὐδὲ οὐδὲ ἀπαλῷ στύφαιν· μάλιστα γάρ δὲ τότε πλάνησται, οὐδὲ ἴδυνται τύποι, οὐδὲ τις βούληται, ἐνσημίναδαι ἐπάτε. Lib. II. de Republ. p. 377.

Quam saepe autem parentes in hac præcipua officiū sui parte claudcent, quam negligentes & remissi sint in tradendis doctrinæ christianæ initii, quam securi in animis eorum, honestatis sensu, amoreque inflammant, & alii sciunt, hujusmodi educationis testes quasi oculati, & in primis scholarum magistri suo cum dolore saepe fentiunt, qui tales pueros, adolescentesque instituendos, honestorumque morum cultu fingendos accipiunt. Eam enim in unam aliquam scholam publicam missi secum afferunt & initiorum doctrinæ christianæ imperitiam, eam morum in honestorum improbitatem, eam ferocitatem, ut præceptoribus, quemadmodum in crassa ista præcipuorum doctrinæ christianæ capitum ignorantia depellenda multum laboris, sic in animorum ruditate polienda, morumque ferocitatem domanda & coercenda multum molestiæ sit, tædiique devorandum. Et raro tamen præceptores, quamquam nullum labore, nullam molestiam subterfugerint, tam felices sunt, ut utriusque hujus mali, diuturnitate temporis confirmati & corroborati, fibras quasi elidere, penitusque evellere queant. *Adeo in teneris confusare multum est!*

Neque vero his solum finibus contineri, coercerique parentum prudentum, salutisque liberorum studiosorum cura & opera debet, sed etiam dirigenda est eo, ut pueros, quos quidem olim bonarum literarum studiis consecrare constituerint, mature literarum initii aut ipsi imbuant, aut per alios imbuendos curent, ne postea in scholam aliquam publicam missi, tam rudes, tam ignari omnium rerum inveniantur, ut, quæ dudum antea didicisse eos oportuisset, ea præceptores demum cum magna, & tædiosa molestia tradere iis, & inculcare cogantur, neque omni suo instituendi labore efficere possint, ut, curriculum scholasticum emensi, stadiumque academicum ingressi Professorum scholis cum fructu operam dare possint. In quo quidem ipsa ratio unicuique parentum præcipit, injungitque hoc, ut, si ipsi, vel ignoratione harum rerum impediti, vel negotiorum multitudo districti, curam literarum initii instituendi liberos sufficere non possint, eos non solum alii cuidam doctrinæ cultu formandos mature committant, sed diligenter etiam videant, cui committant, ut tradant nempe ei, qui facultatem consecutus sit, pueros teneros adhuc, omniumque rerum

¶ DE MAGN. VI NEGL. EDVC. LIB. DOMEST.

imperitos bonarum literarum initii imbuendi. Neque minus prudentia suadet parentibus, injungitque hoc, ut, si ipsi suo in hac re judicio uti non possint, adhibeant alios, sed non nisi eos, quos, certo constat, magnum docendi usum, variis ingeniosis tractandis & erudiendis, consecutus, earumque rerum esse peritos, quarum initii pueri imbui & instrui debeant. Sed hic quoque multorum parentum pudenda incuria & socordia animadvertisenda est. Nam primo, quibus annis literarum maxime necessariarum initii puerorum ingenia impertiri & instrui deberent, eos plerumque turpi, ignavoque otio transigi patiuntur, gravi, si Diis placet! ratione allata hac: non esse teneras, imbecillasque ingenii puerorum vires, præmaturo & intempestivo discendi labore, debilitandas & frangendas: omnium rerum suam esse maturitatem, atque adeo ingeniorum etiam expectandam, neque pueros nimis festinato discendi labore præmature esse macerandos, & quasi atterendos. Inde fit, ut isti pueruli delicatuli annos quatuordecim, & quod excurrit, nati vix Grammatices Cellarianæ præcepta percepereint, græce autem ne legere quidem possint, quamquam alia multa jam didicerint, que nunquam eos, neque audiendo, neque vidento, cognovisse præstaret.

Jam illud maturum tempus appropinquasse his, de valitudine filiorum suorum male sollicitis, parentibus visum est, quo, sine magno timendi periculo, ne infirmæ adhuc, & teneræ ingenii, animique vires duro discendi labore frangantur, in unam aliquam scholam publicam mitti possint. Traduntur igitur, sive potius committuntur & concreduntur carissima pignora curæ, fidei, institutioni (protemporemodum etiam dixisse, *disciplinae*, nisi hanc vocem, scirem, tam odiosam & horrendam multorum auribus esse, ut vel ipse sonus terrorem aliquem injiciat) committuntur igitur, carissima pignora scholæ magistris, sed ita, ut ne tria quidem **S T E S I C H O R I**, de vulgari proverbio, sciant, omniumque rerum ita rudes sint, ut vix recte legere latine, nemus intelligere aliquid, aut scribere possint. Unde bonis istis scholæ magistris ingrata necessitas imponitur haec, ut, quod **X E N O C R A T E M** fugisse, auctore **D I O G E N E L A E R T I O** (IV, 10.) scimus, qui adolescentes, disciplinæ ipsius tradendos, Geometriæ autem rudes, rejicere solitus est his ver-

verbis: παρ' ἐμοὶ πόνος εἰ κατέπλεισται, ἀποδεικνύεται, id facere, & his iam bene robustis adolescentulis non sine acerbo, tædiisque pleno labore tradere cogantur, quæ multis annis ante didicisse eos oportuisset. Jam, quam negligentes, quam male curiosi multi parentum inveniuntur, qui, aut a peritia, filios suos literarum latinarum, græcarumque initia imbuendi, destituti, aut aliis negotiis impliciti, ipsi hoc instituendi, erudiendique munus suscipere nequeunt, atque adeo de *Informatore* aliquo, quem dicunt, anquirendo solliciti esse debent? Nam primo, sæpiissime non tam id spectant, quam aptus iste *Informator* sit liberis rite instituendis, quam assiduus & religiosus in suscepito munere obeundo, quam integer vita & moribus, (τέτο γάρ & φερτίς ἡπολείδη) sed quam blandus, quam comis, quam jucundus, elegansque in consuetudine, & in primis quam indulgens in vitiis, delictisque dulcissimorum filiorum pervidendis, & quod fere caput rei est, quam vili mercedula istam ingratam operam suam parentibus locet, & quasi vendat. Deinde, si quem, aut felici fato quodam, aut prudentis, alicujus viri, harumque rerum elegantis iudicis, studio & dilectu, naucti fuerint *Informatorem* idoneum, in legibus ei ferendis primam fere, & præcipuum ponunt hanc (& vœ tibi, bone *Informatore*, si ab ea vel latum unguem discesseris!) ut ne liberos, confusa loquendi formula, male tractet, sed comiter se erga eos, blande, indulgenterque gerat, in petulantia, contumacia, malitia, mendaciis, aliisque vitiis benigne cœcutiat, non duris verbis (verberibus enim fine immanni aliquo flagitio uti non licet) animos teneros, & ad iram concipiendum molles, ad indignationem, ploratumque commoveat. Sic delicati isti pueruli, effreni licentia, quidvis fere lubuerit, impune agendi, a tenera inde ætate usi, suæ peccandi petulantiae, cum annis maturioribus magis corroboratae, freна laxa permitti cupiunt, adeo, ut, si quis eorum, qui prohibendi, coercendique habeat potestatem, ea uti velit, vehementer indignati gravissimam injuriam fibi fieri, & nimis impotenti, severoque imperio contineri se, cohiberique miserabili ploratu clament. Recte huc transtuleris illa \*) *PLATONIS: Deliciae puerorum animos reddunt diffici-*

\*) Lib. VII. de Legg. p. 791. Η τενθή δύσκολα οὐδὲ ἀπρόχολα οὐδὲ σφεδα  
εἴπο διμηδῶν κινέμενη τὰς γένες οὐδὲ ἀπεργάζεται.

*difficiles, morosos, iracundos, & qui levibus caussis irritentur.* Ita educati, & instituti, huic impune fere peccandi licentia assueti cum in scholam aliquam, eam in primis, ubi disciplina viget, & juventus via regia ad altioris fortunæ cultum excitatur & formatur, nullaque peccandi licentia impune abire nec potest, nec solet, in eam, ergo, scholam cum a nimis blandis parentibus sunt missi: facile conjectu est, quot, quantasque molestias ista sua morum perversitate, tandem valde adamata, blandeque connivendo tolerata, præceptoribus faceant. Nam, cum diu ita domi vivere consueverint, ut, quæ facere libuerit, etiam liceret, disciplina autem scholastica coerciti sue isti effrenate petulantiae, pravæque lubidini indulgere se sine poenarum acerbitate amplius non posse intelligent: tum vero miserabilibus vocibus & questibus blandorum, & male miserantium parentum aures obtundunt, vehementer conquesti de immani Præceptorum crudelitate & tyrannide, a cujus duro jugo ut quam primum liberentur, blandos, & in hoc quidem concedendo nimis faciles, parentes assiduis querelis implorant. Neque vero vanis, irritisque precibus eorum openi implorant. Nam quotusquisque parentum tam durus sit, quin filiolis, ista tam indigna perpeccisis, succurrere, malisque istis medelam quam primum afferre studeat præsentem? Hinc sœpe tot quasi plaustra non querelarum solum, sed convictionum etiam in inhumanos istos, severosque scholarum magistellos, immanes Orbilios, omnisque elegantioris rationis vivendi expertes: hinc tot sinistræ vocula & reprehensiones honorum Præceptorum, sive coram, sive per literas factæ: hinc tot accusationes, vanæ illæ quidem, & impudentissimorum mendaciorum plenissimæ, graves tamen, & perquam odiosæ miserorum Præceptorum apud eos, penes quos jus & potestas in illos est, de crudeli in liberos suos imperio, & immani tyrannide, (ita etiam prudentem, salubremque disciplinam benigne interpretantur) rati, se istis falsis accusationibus & criminationibus, impudenti ore, perficitaque fronte impactis, effecturos esse hoc, ut isti schole magistelli, nimis severi disciplinæ exactores, & honoratorum virorum (nam quotusquisque est, quin sibi etiam videatur esse aliquid)

quid) filiis instituendis & tractandis plane inepti, aut loco suo & munere ignominiose removeantur, aut saltem pro atrocium scilicet ! in mellitulos filios suos commissorum delictorum gravitate gravissimas luant poenas. Nam

*Hoc Ithacus velit, Et magno merentur Atridae, nullo discrimine facto, Tros, Rutuluse fuat.* Quodsi superiores isti liberorum petulantiae, contumaciæque patrocinari nec possunt, nec volunt: ecce aliam viam, & eam perquam facilem & commodam, miseros filiolos suos a dura ista, nec amplius ferenda, servitute quamprimum liberandi. Scholæ enim, misero isti ergastulo, extemplo eos vale dicere jubent, domumque receptos aut in sinu molliter fovent, aut aliis cujusdam Scholæ magistris secure committunt, in qua ista severa & barbara disciplina non dominatur, sed juvenili petulantiae exultanti, contumaciæque ferocienti blande aliquid conceditur. In hac ad altioris fortunæ cultum excitari, in hac informari, & bonis literis institui, sed non nisi blandis, lenibusque verbis, filiolos suos volunt, ut aliquando doctrinæ splendore illustres, tanquam nova quædam & splendida fidera, familiæ novum lumen, decusque afferant suæ. Horum parentum mores immane est quantum abhorreant ab institutis Lacedæmoniorum<sup>4)</sup>, apud quos, <sup>5)</sup> PLUTARCHVS auctor est, more fuisse receptum hoc, ut, si puer, punitus a magistro, id deferret ad patrem, patri turpi esset, non alia insuper addere verbera, ratione allata hac: *ex sua enim quisque disciplina persuasum habebat, nihil quemque pueris suis in honestum precipere.* Quam sœpe autem istos nimis molles, blandosque parentes hujus imprudentis consilii (ne quid gravius dicam) brevi acerba, quamquam sera, poenitentia subeat; quam sœpe hujus crudelis indulgentia poenas, non sine gravi luctu, luant: quando tristis rerum experientia fere quotidiana docet, non est, quod pluribus disputandum putemus.

Jam,

<sup>4)</sup> Πάις ὁνό τινος κολασίς εἰ τῷ πατρὶ ἐξηγεῖται, αὐχρὸν ἢν τῷ πατρὶ μη προστέλλειν ἀκόσιωτα πάλαι ἔτεος ἑπτετον γάρ, ἐκυτοῖς ἐν τῇ πατρίσιᾳ αὐγῆς μηδὲν προστέλλει τοῖς τένοις. Laonic, p. 422.

Jam, quid de illa quorundam parentum pudenda imprudentia dicam, qui saepe multa inhonestæ, turpia & fœda, liberis & videntibus, & audientibus agunt, & narrant, quæ per omnem vitam ab eorum oculis, & auribus quam longissime remota fuissent, optabile esset. Quid enim? nonne multi, præsentibus liberis, vitæ suæ, quamvis dishonestæ, quondam transactæ, curriculum imprudenter, incauteque, re quasi bene gesta, enarrant, nihil pensi habentes, quam pestifero veneno impudentis istius narrationis quasi contagione liberorum animos, ipsos plerumque ægros, inficiant. Nam pueri, hujusmodi incautis narrationibus facile in eum ducuntur opinionis errorem, quo capti, seu decepti potius sibi persuadeant, sibi quoque olim illicitum, dishonestumque non esse futurum, quod a parentibus ipsis perpetratum, & ita narratum audirent, ut quodammodo gloriandi de ipsis rebus turpibus causam habere videantur. Hanc pudendam quorundam parentum imprudentiam vel ipsa ratio detestatur, quippe quæ docet, non posse satis sollicite juventutis & animos, & aures contra turpia ista, foedaque dicta præmuniri: quod ipsi Veteres, luce divinarum literarum non collustrati, tamen saepe, graviterque præcipiendum, & injungendum putarunt. Utinam ex alta quasi turri omnibus, qui usque quaque sunt, hujusmodi parentibus concessionari possit hæc JUVENALIS! (Satyr. XIV, 44)

*Nil dñtu fœdum, visuque hæc limina tangat,  
Inter quæ puer est.*

Et non ita multo post:

*Illud non agitas, ut sanctam filius omnem*

*Adspiciat sine labe domum, vitoque carentem?*

Et quotusquisque honestatis, & reverentiae, pueris etiam debitæ, studiosorum inter ipsos gentiles non fuit, quin hac etiam provida cura modestiæ liberorum, pudorique consuleret? Catonem illum Censorium, PIVTARCHVS (in ejus Vit. T. II. p. 637) refert, præsentibus liberis, non minus verecunde, quam si virgines Vestales adessent, ab obscenis dictis sibi temperasse. Neque sine gravi sane causa

causa CICERO (Verr. III, c. 68.) invehitur in Verrem hoc nomine, quod Praetor in Sicilia suum filium flagitiis suis interessè passus esset: *Tunc, inquit, quum te, ac vitam tuam noſſes, in Siciliam grandem prætextatum filium ducebas? ut, etiamſi natura puerum a paternis vitiis, atque a generis similitudine abduceret, conſuetudo tamen eum, & disciplina degenerare non fineret?* Sed totus iste locus in hanc rem lectu est dignissimus. Horum male cautorum, & ad corrumpendos teneros, imperitosque animos nimium efficacium, sermonum veneno cum pueri inficiantur: quid mirum est, si eodem tramite brevi incedere gestiunt, quo parentes suos olim tam strenue cucurrisse cognoverunt. Verissimum sane illud QVINCENTILIANI est (Lib. I. Institutt. c. 1.) *Natura tenacissimi fons eorum, quæ ruidibus annis perceperimus - - & hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt.* Profecto, si quod crimen est, & atrocitate sua detestandum, & exemplo perniciosum, quod cum parentes ipsi concipiunt, & in liberos suos imprudenter, an impudenter dicam? quasi transfundunt, est certe hoc, quod sua ista vitæ juvenilis narratione illecebrosa præsentibus & audientibus liberis viam ad vitiorum præcipitia digito quasi monstrant, & tacite iis concedere videntur, quod se ipsos olim tam strenue egisse, non sine aliqua rei quasi bene gestæ jactatione, effutunt impudenter. Neque enim liberos suos sanctiores fere, honestioresque fieri se velle ista narratione ostendunt, quam fuerint ipsi. Quam graves autem, & acerbas poenas parentes istius imprudentiae suæ ſæpe dederint, & etiamnum dent, cum liberos suos, adultiores factos, flagitiosa vitæ ſue ratione in perniciem ruſſe cognoverint: tot exempla, in hanc rem illustria illa quidem, sed eadem tristissima testantur, ut ingenio, otioque abundare videri possim, si quid huic rei confirmandæ addere velim. Quodsi quis his infelicibus parentibus, de miseria sua misere conquerentibus, objecerit, per ipsos ſtetiſſe, quominus liberos sanctiores, honestioresque haberent: hæc fere respondent:

*Hæc ego nunquam*

*Mandavi olim - - nec talia fuſi:*

C

qui-

quibus recte regeri possunt hæc :

*Mentis causa malæ tamen est, et origo penes te.*

Quid? quod sæpe liberi hujusmodi parentibus multo pejores fiunt. Recte tali parenti occinas, illud JUVENALIS l. c. Filius

*Omnia deterius tua per vestigia peccat.*

Nunquam enim malum, ubi cœpit, consistere solet, sed vires eundo acquirit. Quodsi verum est illud dictum SENECA (Epist. 94.) ut est verissimum, nullam vocem ad aures puerorum impune perforri: quam perniciosa in censeamus quorundam parentum, impie cautorum, & dicta, & facta, auditu, visuque turpia, quibus mores liberorum, integri adhuc & imperiti, corrumpuntur, & ad animi turpitudinem, immodestiam, lasciviamque formantur? Quanto convenientius religioni christianæ, quanto consultius morum honestati, liberorumque saluti erat, teneram istam ætatem non salubribus præceptis tantum, sed exemplis etiam, quæ altius fere, quam optima præcepta, in pectus descendere solent, moribusque honestis fingere atque formare. Constat enim, quæ opinions hac ætate concipiuntur, qui mores, mali præsertim, induantur, eos diuturnitate temporis ita corroborari, & tam altas quasi radices in animis agere, ut maturioribus annis non, nisi cum maximo labore, eradicari penitus, exscindique posse videantur. Quam curiose, & religiose optimus quisque veterum etiam philosophorum morum integratati, saluberrimis præceptis, prospicere studuerint, non possunt ignorare, nisi qui plane hospites & peregrini sunt in eorum scriptis. Non paeniteat harum reruna studiosos legisse cum PLATONEM Lib. III. de Legg. p. 401. & Lib. V. p. 729. tum ARISTOTELEM Politic. Lib. VII. c. 17. His igitur moribus, pravis pueri, domi corrupti, cum in scholam aliquam missi sunt: quid mirum est, si præceptoribus instituendi laborem perquam acerbum, disciplinamque molestiarum plenissimam reddant. Cum enim, quæ domi, quamvis foeda & turpia, aut videndo, aut audiendo didicerint, sibi non illicita, inhonestaque esse, ac libere adeo, & impune perpetrare se posse, putent, disciplinæ

fcho-

scholasticæ autem ratio istam indecoram petulantiam, lascivamque procacitatem nec ferat, nec ferre possit, sed pœnarum quasi vinculis coercere & constringere soleat: facile ad intelligendum est, quam difficilis, molesta, & tædioſa præceptoribus disciplina, & vita ipſa adeo, ſæpiſſime reddatur. Non pigebit QVINCENTILIANI (Lib. I. Institutt. c. 2.) magni illius juventutis prudenter, honeſteque instituendæ & formandæ magiftri, locum, etſi paullo longiore, huc transferre, ut, quæ huc usque diximus, vim iis, auctoritatemque addat: *Utinam*, inquit, liberorum nostrorum mores non ipſi perderemus! *Infantiam statim deliciis solvinus.* Mollis iſta educatio, quam indulgentiam voeamus, nervos omnes & mentis, & corporis frangit. Quid non adultus concupiscat, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poſcit. Ante palatum eorum, quam os, (al. mores) instituimus. In lec̄tis creſcunt: si terram attigerint, e manibus utrinque ſuſtinentium pendent. Gaudenſus, si quid licentius dicerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, riſu & oſculo excipimus. Nec mirum, nos docuimus, ex nobis audierint: noſteras amicas, noſtros concubinos vident. Omne convivium obſcenis cantis ſrepit: pudenda diſtu ſpectantur. Fit ex his conſuetudo, deinde natura. Diſcunt hæc miferi, antequam ſciant, vitia eſſe. Inde ſoluti & fluenteſ NON ACCIPIUNT E SCHOLIS MALA ISTA, SED IN SCHOLAS AFFERUNT. Conferant, quibus volupe eſt, JUVENALIS Satyr. XIV, & imaginem educationis liberorum, quæ noſtra ætate ni-mis ſæpe animadvertitur, vividis coloribus non adumbrata, fed expreſſam videbunt.

Sed nunc indicandum eſt conſilium, quo commoti ad hanc proluſionem ſcribendam animum appulimus. Nempe producendi ſunt V honestæ indolis, bonæque ſpei ju-venes, qui in memoria diei ſcholæ noſtræ illuſtris Nata-lis grato, pioque animo recolenda ſuę qualisunque di-cendi facultatis ſpecimina edent: quorum nomina, non quo ſedent, fed quo ad dicendum prodibunt ordine, ſubjun-gere viſum eſt. Dicet igitur

X3293437

96.7064  
OK  
20 DE MAGN. VI NEGL. EDVC. LIB. DOM. &c.

I.) JOANNES BENJAMIN PETERSENIUS,  
*Schandavienensis.*

*De necessitate prudentis, honestaque educationis  
liberorum.*

II.) JOANNES GOTTLIEB RIEDELIUS;  
*Vitembergensis.*

*De magnis malis, e neglecta liberorum educatione  
in Rempubl. redundantibus.*

III.) CAROLUS BENJAMIN AUGUSTUS  
GROSSMANN,  
*Elsterwerdenensis.*

*De magnis commodis, e prudenti, honestaque educatione  
in Rempublicam proficienibus.*

IV.) CAROLUS FRIDERICUS LOHDIUS,  
*Grunbergensis.*


*De parentum officio maxime necessario, liberos prudenter,  
honestaque educandi.*

V.) CHRISTIANUS AUG. WALTHERUS,  
*Grimenensis.*

*De blanda, & intempesta parentum indulgentia in liberorum  
educatione, vera eorum saluti perquam perniciofa.*

qui etiam, curriculum scholasticum emensus, stadiumque  
academicum ingressurus, illustri Moldano nostro vale  
dicet.

Ad quos benevole audiendos ut a. d. XIV. Septembr.  
ipso scholæ nostræ die Natali, hora pomerid. III. sacrif.  
finitis, in Auditorio nostro majori frequentes conveniant,  
qui bonis literis, nostroque Moldano adeo favent, humanis-  
fime & officiosissime rogamus. P. P. in illustri Moldano  
a. d. VI. Septembr. A. R. S. MDCCLXVI.





## Farbkarte #13

B.I.G.

Black

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



PROLVSIO  
DE  
AGNA VI  
CTAE EDVCATIONIS  
ORVM DOMESTICAE  
IN  
LINAM SCHOLASTICAM

PRAEMISSA  
LAMATIONIBVS V.

IN ILLVSTRI

LA GRIMANA

A. D. XIV. SEPTEMBR.

SCHOLAE NOSTRAE NATALI  
VDITORIO MAIORI

A III. POMERID. SACRIS FINITIS  
HABENDIS

AVDIENDAS QVAM HUMANISSIME

INVITAT  
ES TOBIAS KREBS  
STRIS MOLDANI RECTOR.

LIPSIAE  
ITTERIS BREITKOPFIIS.

